DE

PSEUDOGENERATIONE PRAECIPUE HOMOEO-PLASTICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

DIE XXVI. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

DAVIDES FUERSTNER

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

PHIL. HENR. WOLFF, MED. ET CHIR. DR.
ROB. NEUMANN, MED. ET CHIR. CAND.
GUIL. BOUNESS, REFERENDARIO.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO DIGNISSIMO

HIRSCH SAL. FUERSTNER

PATRI OPTIMO DILECTISSIMO

NEQUE NON

FRATRIBUS ET CONSOBRINO

CARISSIMIS ET AMATISSIMIS

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Diversae morborum magnam catervam in classes redigendi methodi, quibus enumerandis nunc supersedebimus, multa relinquunt optanda, neque satisfaciunt epicrisi logicae. Pedem figere segniter, humanae rationis conditio vetat, et ut facilius hostem a nostris cervicibus depellamus, proram ad Physiologiam, sacram nostrarum litterarum anchoram, convertamus, materiam morbo productam submittamus cultro anatomico, microscopio, vesicae destillatoriae ejusque indole strenuissimo examine indagata, tenebris, quae causam morborum proximam adhuc obtegunt, radicitus dissipatis, leges nobis innotescent, secundum quas natura inimica mortales petat. — Omni in morbo organorum insitae vires sunt turbatae, quisque morbus est dynamicus; hae vero vires summo commercio, quasi circulo, concluduntur, ut incassum effugiamus fallacias, si, eas sejungendo, metam nos consecutos esse opinemur. — Ubi causa, ibi effectus. — Ubi vis, ibi actio, quare in omni morbo, quum virium actiones sint perversae, produci perversa debent. — Haec producta morbosa nostris patent sensibus, et horum investiganda

est indoles, virium si expiscari volumus naturam. Producta pathologica sunt diversa, fluida, solida, volatilia. — Eorum elementa chemia pathologica docet, structuram, praesertim solidorum, monstrat anatomia pathologica. Quantopere autem eheu! neglecta recedit chemia pathologica, quum socia, anatomia, jam summam sibi acquisivit notam. Anatomia pathologica describit situm, formam, volumen, structuram corporis alienatam, complectitur quoque hodie Pathophysiologiam aut Pathogeniam et leges modosque constituit, quibus generatio pathomorphosis regatur. Confitendum est, quo magis anatomia pathologica excolatur, eo magis disparere morbos mere dynamicos; fortasse tempus haud procul abesse censebis, quo in omnibus morbis, ut in viribus ita in organisatione, nobis retegatur morbi sigillum. — Si percurrimus anatomiae pathologicae arenam, nos praeterire non potest, partem, quae de structurae et texturae vitiis agit, esse difficillimam, quare non haesitabimus, quin nostrum animum hoc loco ad eam advertamus. —

Omnia texturae vitia duobus evenire possunt modis, textura enim telarum ipsa mutatur, quod Transformationem, Degenerationem, nominamus, aut nova generatio in telis oritur, tela normali tanquam matrice, Pseudogeneratio, Pseudorganisatio, Pseudometamorphosis. — Haec strictiori sensu illas denotat organisationis aberrationes, quas vulgo Parasitos nominarunt, i. e. generationem novae telarum conjunctionis, generationem novi organi, quod ad propriam vitam tendit, quod vero semper parte, cui inhaeret, nutritur et subductum huic conjunctioni vitam amittit; eo majori jure nominamus pseudorganisationes, parasitos, quo magis e vicinis partibus nutrimenta

recipientes, crescendi principium in se ipsis habeant, organisationem forment aut huic loco, aut omnino aliis corporis telis alienam. — Nulla anatomiae pathologicae pars celeberrimorum virorum opera magis exarata est, et nulla et quod ad diagnosin et quod ad pathogenesin attinet, tot ac tantis tenebris premitur.

Priusquam illorum parasitorum indolem ipsam indagemus, necesse erit, leges perlustremus, secundum quas natura organicam faciat partem, ut generatio ipsa pathologica facilius intelligatur. — Generatio aut regeneratio organismi partium duobus perficitur modis, appositione aut intussusceptione, scilicet incrementum evenit appositione materiae organisata matrice secretae, dum partes ipsae formatae non habent organisationem, aut increscunt partes, dum quaeque particula inter vasa capillaria sub stantias plasticas sibi assimilat, id est, virium participes facit sibi insitas. Omnium materiarum sola est fibrina in sanguine soluta, quae exsudata commercium init cum exsudantibus partibus, vasa nova in se generat, ipsa se organisatione imbuit. Cum quaque nova organisatione ergo generatio novorum vasorum est conjuncta, spectemus igitur, quomodo haec oriantur. Ut omnino pseudogeneratio maxima ex parte convenit cum illo processu, quo utitur natura in organismo fingendo, ita generatio novorum vasorum in pseudogeneratione evenit. — Quod illam attinet similitudinem, jam ille immortalis Harvey (Exercit. de generat. animal. Amstelodam. 1650.) de ea disseruit: „quamquam, inquit, ovum, dum sit, intra gallinam continetur et in vitellario matris per pedunculum adnascitur, atque ex ejusdem venis nutritur; non est tamen dicendum pars matris, neque hujus anima vivere

aut vegetari, sed propria sua virtute ac principio interno, quemadmodum ex arboribus fungi, viscus quercinus et muscorum genera nascuntur, quae tamen partes arborum non sunt, neque appellantur.« Porro infra: Ad hunc pariter modum vivunt fungi arborum ut plantae supercrescentes. Quin etiam saepius experimur in nostris corporibus cancros, sarcoses, meliccrides, aliosque id genus tumores, quasi propria anima vegetativa nutriri et crescere, dum interea genuinae partes extenuantur et macrescunt. — Vitellus autem cum jam abrumpitur, omnique cum gallina connexu privatur, haud dubium est, quin per infundibulum transiens et in uteri cavo existens, lentum humorem attrahat, in se recipiat etc. Quibus rebus pensitatis, propriam illi inesse animam, concludimus. —

Optime generatio vasorum in embryone est descripta, et cum eodem modo in pseudogeneratione fiat, hoc loco descriptio non est praetermittenda. Blastoderma mox tenuiorem habet superiorem laminam serosam et magis crassam, inferiorem, mucosam. Circa embryonis vestigium in medio blastodermate spatium oritur pellucidum, area pellucida, dum blastodermatis externa pars manet opaca et paullo post duas in partes annulares secedit, externam et internam, in avibus decima sexta hora. Proxima areae pellucidae aream appellant vasculosam, quia in ea vasa et sanguis primo nascuntur. In area hac vasculosa, quocunque tendit, granulosum reperimus stratum inter serosam et mucosam laminam, quod discedit mox in insulas et canales interpositos, in quibus colligitur primo flavescens, dein rubescens liquor, sanguis. — Primus apparet sanguis in areae vasculosae peripheria

et pedetentim granulosa illa substantia omnibus locis in tales insulas et canales discernitur. — C. G. Wolff (Theorie der Generation, Berlin 1764.) explicuit, quomodo parietes vasorum exoriantur, cum a centro ad peripheriam versus pars magis densa et opaca ad rivulos sanguineos attenuatur, dum magis pellucidae fiunt insulae e medio. — Nusquam existunt fines vasorum; quam Haller etiam docuit, absona est sententia; quaeque arteria vasis capillaribus ad venas tendit, et hac sola via, non alia. Joannes Mueller, cujus auctoritas in rebus physiologicis summa est, de generatione vasorum, in materia plastica per inflammationem exsudata haec habet: exsudatus sanguinis liquor magis atque magis et per parietes vasorum capillarium permeabiles rursus liquorem sanguinis attrahit, qui expanditur in formatos canales substantiae insularum, quas ut in blastodermate oriri videmus. — Liquor vero sanguinis semper in sano corpore exsudatur, nam assimilationem exsudata materia nutricia hoc nobis tantum explicare modo debemus, non vero format pseudorganisationem, liquor sanguinis mutatus esse debet, et quisque interrogaret, quidnam principium plasticum sanguinis tali modo mutaret: nam hujus quaestionis responsum responderet quoque pseudogenerationum causae proximae. — Nullo alio processu hoc evenit, nisi inflammatorio, et omnino iis adstipulor qui affirmant, quamque pseudogenerationem ex inflammatione quadam originem ducere, quae sententia plus probabilitatis obtinebit, si de ratione atque modo inflammationis ipsius fecerimus verba.

Inflammatio oritur irritatione vasorum capillarium, per se vero nec est debilitata, non aucta vita, neque

asthenia, neque sthenia, sed status proprius morbosus, qui modo viribus vitalibus integris modo suppressis apparet, et quo magis in organis saevit, eo magis offendit vires vitales, etsi initio intactas. Inflammatio est pathologicum commercium, materiae mutatione evocatum, inter sanguinem et substantiam organisatam; si vis vitalis in inflammatione esset aucta, non abiret in tales sequelas.— Incipit quidem inflammatio turgori similibus symptomatibus. Organa, affinitate mutata inter substantiae et sanguinis partes, majorem accipiunt sanguinis quantitatem et impediunt attracti sanguinis effluxum. Non vero haec vita est adaucta, quae functionum perturbationem efficit, et quam sequitur naturae nisus, irritatione inflammatoria materiae mutationem reprimendi. Organon inflammatum sanguine completum movet sanguinem variis in stadiis diverso modo. Initio ingreditur non solum sanguis vehementi impetu, arterias et vasa capillaria, sed quoque in venas pellitur, ideo reducitur. Quo magis vero inflammatio progreditur, eo magis languescit sanguinis circulatio in singulis vasis capillaribus, mox vero in omnibus partis inflammatae, et summo gradu omnia vasa capillaria sanguine coagulato, certe dissoluto, sunt impleta. Nova vasa secundum Koch non in inflammata parte oriuntur (nempe in exsudata fibrina tantum.) Membranae superficiales oppletae exsudant fibrinam sanguine prius solutam, quae coagulata in superficie pseudomembranas format. — Ubi exsudatio impeditur, accumulatur materia coagulabilis in organorum telis ipsis, quo fit, ut organorum structuram condensetur, quod hepatisationem in pulmonibus, indurationem in aliis organis vocant. Si inflammatio diutius fovetur, substantia organo-

rum propria ratione dissolvitur, dissolutae partes extruduntur puriformi materia, e globulis composita, majoribus quam sanguinis globulis. — Sin autem vehementia inflammationis circulatio impeditur tota, et vasa omnia capillaria sanguinem continent, non solum coagulatum sed quoque dissolutum, mors localis sequitur. —

Etsi hodie inflammationem omnes corripere posse telas, excepta cornea, cognovimus, neque amplius credimus, telam cellulosam solam exhibere inflammationis sedem, etsi quoque sequelas satis illustrarunt auctores, non ita tamen discreverunt gradus inflammationis ipsos, qui has efficiunt sequelas, et modo Gallum quendam scriptorem legi, qui quatuor distinxit modos. Lobstein (traité d'Anatomie pathologique) distinxit phlogosin, epiphlogosin, metaphlogosin et hyperphlogosin, quas describit in serosis membranis, quia decursus vasorum ibi est luculentissimus.

In phlogosi tali modo membranae sunt injectae, ut in fundo albo ramos ramulosque vasorum discernere liceat. Membranae reservarunt naturalem indolem, superficies aut humidior aut magis sicca est, unde duae oriuntur subdivisiones. Quamquam hic primus inflammationis gradus non vehemens est, vires tamen sunt alienatae. Exemplum cernitur in taraxi, quam nominant, ophthalmia in qua conjunctiva non ubique rubra est, sed tantum vasorum fasciculi, ex uno alterove angulo prorumpentium apparent, dolor vero, calor et photophobia sunt vehementes. —

Epiphlogosis ille est status, quo hae membranae magis sunt injectae, quam in phlogosi, sanguinis globuli sunt ingressi vasa capillaria, quae non semper eos con

tinent, superficies apparet, microscopio adjuvante, magis floccosa, et quo magis inflammatio secretionem excitat, eo magis apparet lympha illa coagulabilis, tela ipsa non observatur mutata, neque densior, crassior. In metaphlogosi non sanguis vasa tantum ingressus est, sed quoque in telam cellulosam effundi videtur, ramificationes non possunt amplius discerni, pars inflammata speciem prae se fert carnosam, ubique rubram. Hic gradus conspicitur in chemosi, in qua conjunctiva tumida, rubra apparet, rimam transgrediens palpebrarum, tactu autem mollis et quasi fungosa. Hyperphlogosis is est inflammationis gradus, quo tumor inflammatorius durus est et renitens, i. e. summus oppletionis gradus. Phlogosis aggreditur praesertim telam cellulosam et membranas, cum serosas tum mucosas, saepius maxime intenditur, secundum organorum naturam mortem ipsam afferre potest. Phlogosis sicca dissectorum vasorum ramificationes sanguine impletas, humida monstrat humorem modo serosum, viscosum, albidum, modo spissum, aquae saponatae simillimum, flocculos praebentem. Epiphlogosis easdem afficit partes, producit vero lympham coagulabilem, aut nunquam in suppurationem aut gangraenam abit, aut rarius, et semper demonstrare possumus in adjacentibus incepisse partibus. Pluribus in casibus epiphlogosis et phlogosis una adsunt, ut in pleuritide et peritonitide, quae partim serosa exsudatione terminantur, partim pseudomembranas formant. Si phlogosi evocatur hydrocele, eam curamus epiphlogosi excitata tunicae vaginalis. — Metaphlogosis in tela cellulosa, in organorum parenchymate et in cute accidit. Tolli potest, evanescentibus inflammationis symptomatis, verum abire quoque in gangraenam. Mor-

billi, scarlatina, erysipelas, tales sunt metaphlogoses in cute. — Hyperphlogosis afficit et telam cellulosam et viscerum parenchyma, membranas mucosas, cutem, periosteum, ossa; haec sola abit in suppurationem, sed quoque in gangraenam. Epiphlogosis et Phlogosis ii inflammationis modi sunt, ex quibus pseudogenerationes originem ducunt. — Quod causas remotas attinet pseudogenerationum, quidquid praebet causam disponentem, quod principium plasticum auget; causa occasionalis vero est irritatio inflammatorium processum evocans. Mulieres ad pseudogenerationem magis vergunt, quam viri, principium plasticum, iisdem jam auctum facilius aberrare potest, jam deviatio genitalium functionis minima causa facile evenit, ut pseudogenerationes oriantur, sive in partibus genitalibus ipsis, sive in organis, sympathia connexis, ut in mammis etc. Non memoro, quid aetas, quid constitutio ad parasitos generandos valeat, nam hoc a proposito nostro longius abhorret. — Quod dyscrasias attinet, nonnulli eas tanti putarunt, ut pseudogenerationes secundum eas destribuerint in scrophulosas, arthriticas, syphiliticas, rheumaticas; confitendum omnino est, quod ad curationem, hanc distributionem magni esse momenti, non vero in anatomia pathologica probanda est, nam eadem pseudogeneratio, eodem modo composita, diversis his dyscrasiis evocari potest, nec raro evenit, ut plures dyscrasiae, eodem in corpore latentes, eandem pseudogenerationem excitent. Utrum pseudogeneratio morbus localis, an universalis sit, quaestio est ampla, et gravis, tam variae autem indolis diversae pseudogenerationes sunt, ut responsum ad unamquamque pseudogenerationem esset conformandum. Aetiologia pseudogenerationum omnino tam

vagis cancellis est circumscripta, et fere omnes pathologiae partes respicit, ut ejus explicationi satisfacere non possim. Ad pseudogenerationum distributionem me verto, rem magni momenti. Priusquam classificationem pseudogenesi perductorum ipsam adeamus, difficultatem ejus instituendae nos celare non debemus. Quam difficile est multis in casibus, inter formationem et pseudogenerationem discernere. Otto, persaepe, inquit, quod transformatio tantum esse videtur telarum, pseudogeneratio est, exempli gratia plures mutationes in cartilagineam aut osseam materiam, ubi substantia generata laminis telae normalis tenuioribus, includitur; porro musculi transformatio in substantiam adiposam, dum pallidae et evanescentes fibrae musculares tamquam absconditae sunt inter adipem. Multae aliae pseudoorganisationes mutant formam; etsi prius liquidam nobis monstrant, procedente tempore faciem osseam, aut aliam accipiunt, ita ut, quas discernamus alias diversas, ejusdem sint indolis. Praeterea similitudo plurium parasitorum initio generationis saepe peritissimum fallit. Omnia haec et alia pensitantem non fugiet, arduam esse viam, neque levem operam, naturae ordinem in generandis parasitis exquirendi.

Quod ad priorum auctorum expositiones hac de re pertinet, singula fere in omnibus scriptis de anatomia pathologica editis nobis obveniunt, non vero hic est locus, singula citandi, quare ad eos solum auctores vertor, qui partem hanc in ordinem quendam redegerunt.

John Abernethy (Surgical observations on tumours and on lumbar abscesses. London 1811. 8.) discrevit parasitos (»such Swellings from some new production, which made no part of the original composition

of the body l. c. p. 5.«) in sarcoma cysticum (cystic sarcom), tumores cysticos (encysted tumours), sarcoma pancreatiforme (pancreatic sarcom), sarcoma mammiforme (mamillary s.), s. medullare (medullary s.), s. vasculosum commune (common vascular sarcom), s. adiposum (adipose s.), sarcoma tuberculatum (tuberculated s.), sarcoma carcinomatodes (carcinomatous sarcom.)

J. Fr. M. v. Olfers (commentarius de vegetativis et animatis in corporibus animatis reperiundis. Pars I. Berolini 1816. 8.) I. Producta lithoidea, II. producta phytoidea, 1. excrescentias fungosas, 2. membranas spurias, 3. pseudogenesin pilorum, unguium, cornuum etc. 4. polypos, 5. vesiculas hydatoideas, 6. productiones phytoideas, quae in corporis superficie adparent, lentiginem, naevum, impetigines et exanthemata illa, quae ad hunc exsistentiae propriae gradum pervenere, ut sui simile in alio corpore producere queant. III. corpora vegetativa in corpore animali, 1. hydatides, 2. exanthemata vera. IV. entozoa.

R. T. H. Laennec (Note sur l'anatomie pathologique. Journal de med. chir. pharm. p. Corvisart, Leroux, Boyer. An XIII., tom. IX., »Anatomie pathogique.« In »Dictionnaire des sciences médical. Vol. II.) A. Producta corporum telis non similia. a. tubercula, b. scirrhos, c. encephaloidea, d. melanoses. B. Producta telis corporis similia, a. simplicia, b. composita.

J. F. Meckel (Handbuch der pathologischen Anatomie. Leipz. 1812 — 18. 2 Bd. 8.) A. Pseudogenerationes, a. inflammationem, b. organicas ad regenerandas partes actiones, c. pseudogenerationes proprias, 1. pseudogenerationes normales telas aequantes, a) ps. pingues,

b) ps. telae cellulosae, c) ps. tumorum cysticorum, d) ps. ossium et cartilaginum, e) ps. cutis, pilorum, dentium, telae corneae, f) ps. vasorum, 2. ps. alienas corp. hum. telis, a. telam pancreaticam, b. telam mammariam, c. fungum medullarem et haematodem, d. carcinoma, e. scrophulae. B. Pseudogenerationes, quae non organicum commercium ineunt cum corpore, a. entozoa, b. concrementa lithoidea.

J. Cruveilhier (Essay sur l'anatomie pathologique en général et sur les transformations et productions organiques en particulier. Paris 1816. 2. Vol. 8.) omnem anatomiam pathologicam in quatuor classes dividit: I. laesiones mechanicas, II. transformationes, degenerationes et novas organisationes, III. irritationem, atoniam, gangraenam, IV. febres et neuroses. Secunda classis, quae ad nostram rem pertinet, segregatur A. in tales transformationes, quarum structura non aliam corporis partem imitatur et quae plurime completa partis affectae degeneratione terminantur. Ad A. referuntur 1) scrophulae, 2) degener. cancrosae; a) scirrhus (faciem lardaceam habet et componi videtur e tela fibrosa et cellulosa, quae albuminosa materia impletur), b) carcinoma (vasa ejusdem saepius rumpi, ait, unde color ille niger oriatur) tres init formas: α) c. tuberculosum, β) degenerationes, ut carcinomatodes organorum, γ) ulcus carcinomatosum. 3) Degenerationes chronica evocatae inflammatione, ad quas melanosin numerat. B. Novae generationes 1) laminosae 2) cysticae 3) fibrosae 4) fungosae 5) cartilagineae et osseae 6) erectiles (v. Gräfe Angiectasie) 7) cutaneae 8) mucosae 9) epidermidis, pilorum, telae corneae.

Mérat (Dict. d. scienc. méd. Lésions org. Vol.

XXVII. Lésions physiques des organes. Vol. XXVIII. Lésions org. des tissus Vol. LV.) transformationes vocat aberrationes, adaucta functione assimilantium, exhalantium et secernentium organorum exortas, mutantes organorum partes in alias, quae vero non a typo aliarum organismi telarum et materiarum aberrant. A. Transform. in gasa. B. tr. cellulosae 1. tr. cellulosae functione evanescente (Thymus, musculi non exercitati) 2. tr. cellul. inflammationem sequentes (pseudomembranae, granulationes) 3. tr. in telam erectilem cellulosam (fungus haematodes, haemorrhoides, polypi carnosi, vegetationes). C. transform. in vasa a. in arterias et venas (in pseudomembranis) b. in vasa lymphatica c. in filamenta nervea (quod secundum Dupuytren in pseudomembranis occurrit). D. transformationes cutaneae 1. in cutem (cicatrix) 2. in membranas mucosas 3. in serosas (tumores cystici) 4. in fibrosas. E. Transformationes in telas persolidas 1. tr. fibrocartilagineae 2. tr. cartilagineae 3. cornua et pili 4. osseae. F. tr. in fluida. Hanc transformationum classem sequuntur degenerationes organorum, quae a typo aliarum organismi telarum aberrant. A. degenerationes fluidae, coagulabiles 1. degen. puriformis 2. degeneratio in pseudomembranas, quarum originem e coagulatione puris fluidi deducit. B. degenerationes, quae indolem prae se ferunt, in materiam fluidam remollescendi a. tela teberculosa b. tela medullaris c. tela scirrhosa d. melanosis. C. degenerationes, communibus dissimiles quidem telis, sed emollitioni impares. a. materia matrici margaritarum similis (matière nacrée) b. parva corpuscula alba in articulationibus.

Meyen (Untersuchung über die Natur parasitischer

Geschwülste im menschlichen Körper, insbesondere über den Mark- und Blutschwamm. Berl. 1828) omnes parasitos, quos producta dicit principii plastici a norma aberrantis, propria praedita organisatione, in tres classes: I. parasitos regni mineralis II. p. regni vegetabilis III. p. regni animalis dividit. Secundus ordo separatur in a. p. sine systemate vasorum, ad quos polypus mucosus et hydatides numerantur. B. p. cum systemate vasorum, qui dividuntur in 1. parasitos cum systemate vasorum peripherico, ad quos a. hygroma b. haematocystis c. meliceris d. atheroma e. ganglion f. sarcoma g. chondroma h. steatoma i. osteosteatoma k. tuberculum numerantur. (Lipoma maxima ex parte esse hypertrophiam, dicit auctor, saepius vero desorganisationem, sed sine propria vita, quamobrem non ad parasitos pertineat. 2. in parasitos cum systemate vasorum centrali, ad quos a. verruca b. condyloma acuminatum c. polypi d. scirrhus e. fung. medullaris referuntur. 3. in parasitos cum systemate vasorum peripherico et centrati, quibus accenset fung. haematodem Hey.

Heusinger (System der Histologie. Erster Theil. Eisenach 1822) omnes pseudoorganisationes in quinque ordines sejungit. Sunt: I. secretiones organicarum materiarum sine forma, vegetabilibus appropinquantes corporibus 1. adipositas anomala a. localis b. universalis 2. generatio pigmenti a. secretio flavi, viridis, coerulei, nigri pigmenti sub tota cuti, b. secretio flavi pigmenti in serosis et fibrosis membranis, c. secretio flavi etc. in membranis mucosis d. secretiones locales α. ephelis β. naevi materni flavi etc. e. secret. nigri pigmenti proprii in diversis naturalibus aut praeternaturalibus telis corporis, sic dictae melanoses 3. pseudogenerat. pilorum, dentium

et alius telae corneae 4. gener. gasorum. II. Secretiones organicae materiae sine forma, generationem fibrae, sanguinis et vasorum appetentis 1. ps. telae formatricis 2. generat. lymphae, sanguinis et vasorum in tela formatrice 3. generatio telae formatricis cum specifica indole et forma 4. pseudomembranae 5. polypi mucosi 6. sarsoidea: a. polypus carnosus b. fungus c. sarcoides sui generis, condylomata, etc. 7. corpora fibrosa 8. tumor lactibus piscium similis (Fischhodenähnliche Geschwulst) 9. splenoides (naevi plurium autorum, aneurysma per anastomosin, tissu érectile anomale Cruveilhier, Dupuytren, angiectasia, telangiectasia v. Graefe, fungus haematodes. III. Chondroides. (formatio sphaerica) 1. liberae 2. annatae 3. tubercula 4. exostoses 5. cartilagines fibrosae anomalae. IV. formatio cystica simplex 1. acephalocystes (quas Heusinger non animatas putat, quod in iis functiones animalium desiderentur; vesiculae sunt tenui membrana formatae, serosis simillima, fluido impletae tenui albuminoso) 2. hydatides, vesiculae, quarum membranae formantes non sunt simplices, nam formant saepe processus, filamenta, verrucas, quibus affiguntur partibus vicinis, qui processus imitantur uncinos multorum entozoorum. Hae membranae non sunt simplices, sed compositae pluribus laminis, quarum intima laevem serosarum faciem membranarum servat, dum exterior crassior interdum in fibrosam mutatur membranam. Sin hydatides aut acephalocystes his in vesiculis accumulantur, medium tenent inter hunc ordinem et hydatides cellulosas, sin autem chondroides, ad hymenochondroides vergunt. 3. bursae synoviales 4. burs. adipos. 5. burs. pinguedinem, albumen continentes 6. bursae pilos, 7. dentes

8. corneam materiam 9. pilos et dentes 10. ossa, dentes et pilos continentes, 11. folliculi, in quibus embryoni simillima materia est. V. Formatio cystica composita, 1. hydatides cellulosae 2. encephaloides (fungus medullaris, medullary sarcom, soft cancer, matière cérébriforme auctorum), consistunt multitudine cellularum parvarum, tenui membrana formatarum, et albida, spissa, lactis cremori simillima, materia impletarum, quae saepius in lobulos separatae sunt; in parietibus earum pigmentum cinereum, aut nigrescens deponitur, quare similitudinem quandam cum cerebro monstrant, 3. hymenochondroides; similes cellulae, quae magis spissam, semipellucidam, cartilaginosam continent materiam 4. hymenosteatides.

Has scriptorum classificationes hoc in loco posui, non ad eas epicrisi submittendas, quod hoc tironem non deceret, sed ut facilius sit, eam nobis eligere, quae maxime rationis principiis responderet; inficias ire autem nequeo, pensitatis his classificationibus permulta desiderari, neque ut ullam earum sequamur, necessarium videri. Anatomia sani corporis permultum ad cognitionem pathologici status nobis praestitit, et viam, opinor, optimam in anatomia pathologica tractanda esse eam, quae, a morbis telarum communium aut simplicium ordiens, ad compositarum status pathologicos pergit. Fatendum vero est, in discernendis simplicibus et compositis telis facillime errari posse, etenim multa pristinis temporibus composita sunt existimata, quae, prolato litterarum pomoerio simplicia esse intelleximus.

Quod a plurimis classificationibus supra adnotis elucet, omnes parasiti in tales discerni possunt, qui cum telis organismi similitudinem alunt, et qui dissimiles sunt:

appellemus hos, pseudorganisationes alloeoplasticas, illos, homoeoplasticas. Homoeoplasticas videbimus illas esse, quae cum telis sic dictis communibus aut simplicibus corporis simplices sint, alloeoplasticas autem tales, quae plurium telarum compositione consistunt, et similitudinem offerunt cum organis compositis corporis, nisi natura esset tam varia in componendo, et comparationes, quas scriptores instituerunt, encephaloides, splenoides etc. eluderet. Quum systema edere non potuerim consequentia et artis principiis suffultum, tale tantum proposui, quale in parasitis homoeoplasticis per analogiam ex anatomia sani corporis deducere possumus. Homoeoplasticos tantum hoc loco perlustraturus sum, quia spatium impedit, quominus ad alloeoplasticos quoque animum advertamus. Contemplamur illas telas communes, seu simplices, nempe telam cellulosam, membranas serosas et mucosas, fibrosas, fibro-cartilaginosas, ossa, telam vasorum et telam corneam, pseudorganisatione creatam.

I. TELA CELLULOSA S. FORMATIVA.

De tela formativa, s. cellulosa autores priorum temporum valde dissenserunt, nostrates vero de ea omnes conveniunt. C. F. Heusinger de histiologicis meritissimus telam formativam describit materiam elasticam, semifluidam, sine forma, mollissimam, e cinereo albidam. Matrix omnium aliarum telarum est, et uberrima in corpore accumulatur, omnes aliae telae ab eadem circumdantur, nascuntur continuo ex ea, et revertuntur in eam, omnia fluida in corpore, imo sanguis, nil aliud nisi metamorphoses ejusdem haberi debent. Qualitates, quas proposuerunt, mox ad concipiendam sententiam nos irritant, hanc

telam formativam liquorem esse sanguinis, vasis capillaribus exsudatum, medium inter coagulationem et fluidam consistentiam, qualis tantum in sanguine reperitur. Pathologica tela formativa, pseudorganisatione evocata, pseudomembrana vocatur, nam praetereo sententiam eorum, qui affirmant, musculos non exercitatos in telam cellulosam mutari; haec non est transformatio, minime pseudogeneratio, sed hypertrophia quaedam telae formatricis, quae fibras ipsas musculares oculis subducit, et obtegit. Omnes hae pseudomembranae inflammationem exsudativam sequuntur, ejusdem sunt generis, ac massa illa plastica, inter vulneris margines exsudata, ad reunionem primam, quam dicunt perficiendam. Pseudomembranae oriuntur in membranis serosis, mucosis, aut synovialibus (quas Bichat inter serosas numerat) et has membranas, praesertim antem serosas, ita cum vicinis partibus conjungunt, organica accepta forma, ut structura propria ipsa evanescat, quod in mucosis minus saepe evenit. Talibus pseudomembranis formantur illae adhaesiones inter pleuram pulmonalem et costalem, talibus inter pericardium et cor, talibus inter peritonaeum et viscera, inter hepar et diaphragma, inter tunicam vaginalem et testiculum, inter membranas synoviales et periosteum. In membranis mucosis frequentissime occurrunt tales pseudomembranae quaeque mucosae inflammatio in exsudationem talem terminari potest; meditemur anginam illam membranaceam, omnes illas pseudomembranas, quas fere in omnibus anginis videmus, v. c. post dysenteriam per alvum dejectas, quas permulti observatores partes intestinorum esse affirmant. Quando tales pseudomembranae in ductibus oriuntur angustis, ductus ipsi obliterantur, quod

quod videre est in obliteratione canalis nasalis, tubae Eustachii, canalis choledochi, vaginae, canalis cervicis uteri, tubarum Fallopii et aliorum. Eodem modo ad pseudomembranas numerandae snnt eae, quae aliena corpora circumdant. Haec corpora vicinas partes irritant, in inflammationem vocant, qua illa pseudomembrana oritur. Hujusmodi permultas invenimus, ut quae in cerebro involvunt extravasatum sanguinem post apoplexiam.

II. TELA MEMBRANACEA.

Ad telam membranaceam, seu membranas, referendae sunt: 1) cutis, 2) membranae mucosae, 3) membr. seros., 4) membr. fibrosae. — Quod ad pseudogenerationem illius telae attinet, confitendum est, non frequenter evenire, et similitudinem jamjam discedere ab indole naturali harum membranarum. Pseudogeneratio cutis mihi ignota est, nam cutem ipsam aliis locis, quam in sano corpore, suis conspicuam qualitatibus esse ortam, nec legi, nec audivi. — Epidermis sola est, quae pseudogenerata occurrit, secundum eam quidem legem, qua omnes telae corneae partes generantur, nempe per matricem organisatam producta appositione; sed hoc ad telam corneam ipsam pertinet. — Idem de membranis mucosis est dicendum; nunquam enim puto membranam mucosam pseudogeneratione esse ortam. Polypus mucosus, quem ad membranarum mucosarum pseudogenerationem numerant, non e membrana mucosa componitur, nam hujus structura omnino in eo desideratur, et nihil aliud esse videtur, nisi mucus tela formativa inclusus, cellulis aëris contactu ex illa formatis, quibus mucus ille conti-

neatur. Pseudomembranas quidem affirmant auctores qualitates et indolem mucosarum et serosarum accipere sin hoc quod ad serosas probem, quod ad mucosas probare non possum. Laennec (Auscultation médiate), Gendrin (Hist. anatomiq. des inflammations) credunt inflammatione corripi has membranas et exitus ejusdem sortiri posse, ita ut lympha coagulabilis, serum, exsudetur. Medium tenent inter serosas et mucosas membranae illae, quae involucrum formant tumorum cysticorum, ab indole serosarum divergentes, quod non replicantur, ut aliae serosae membranae, structura vero ipsa discrepant a mucosarum natura. Discrimen indicatum si reputamus, jure serosis membranis adnumerantur. Quod ad horum tumorum genesin attinet, scriptores dissentiunt. Adams putat, omnes hos tumores esse hydatides, quia non sint vasculosi, non possint inflammari et suppurare, et quod delendos ex toto exstirpare debeas. Sed sunt vasculosi, inflammatione mehercule corripi possunt, quod nimirum methodorum una est, qua eos curamus. — Béclard opinatur, omnes illos tumores nihil aliud nisi folliculos esse illos cutaneos, materiae cujusdam exsudatione expansos. Haller et Louis formationem ita explicant, ut folliculos illas adhaerentes esse dicant laminas telae cellulosae, liquidi exsudati extensione loco motas et analogiam alere cum illis pseudomembranis, quae aliena corpora circumdant. Alii, ut Bichat, processu plastico hos tumores oriri judicant, quam sententiam cum priori a Louis tradita conjungendam censeo. Commercium intimum inter continens et contentum existit, modo continens prius corripitur inflammatione, et tunc demum ex-

sudat, modo contentum prius inflammatum vicinas telae formatricis partes in talem vesiculosam pseudomembranam vertit, quae plurime serosas adaequat. —

Tela fibrosa fibris componitur, et si definitionem ejus tam amplis cancellis circumscribimus, membranas fibrosas, musculos, uteri telam, ei adnumerare debemus. Quod fibram illam, hanc telam componentem, attinet, cernimus quidem fibras oriri, quae facie et chemica compositione maxime illam aequant, non vero movent, quae palmaria est virtus fibrae muscularis. Fibrina cardinalis pars omnium fibrarum pseudogeneratione ortarum est, polyporum etiam carnosorum, qui multis nervis et vasis sanguiferis intertexti sunt, et fibram ostendunt rubescentem, globosam. Omnia illa, quae dicuntur sarcomata, huc pertinent. Pseudogenerationem fibrosam porro sub facie ligamentorum, fasciarum et corporum fibrosorum cernimus. Obliteratio vasorum, sive arteriarum sive venarum, non aliter nisi pseudogenerata materia fibrosa oritur, via sola, qua natura aneurysmata, varices et alia ejusdem generis curat. Prima aetate obliteratio ductus Botalli, venarum et arteriarum umbilicalium non aliter evenit. Corpora illa fibrosa quoque huc pertinent, formata e compacta densa materia, fibras ostendente. Non vero omnimo aequant telam fibrosam, sed tantum tela formativa densior esse videntur, fibris pertexta. Haec corpora admodum vergunt ad pseudorganisationem osseam. —

III. TELA CARTILAGINOSA PSEUDOGENERATA.

Tela semipellucida, perelastica, e coeruleo alba, laevis, passim fibrosa. Omnes telae, gluten disquisitione chemica exhibentes, intimum connexum inter se alunt, et

difficillime discernuntur, quod e doctrina transformationum elucet, nam facile fibrosa et serosa in cartilagineam, facilius cartilaginosa, uti natura fert, in osseam mutatur. Quam saepe tunicam propriam externam lienis, hepatis, pleuram, arachnoideam, induere videmus naturam fibroso-cartilaginosam. — Ad pseudogenerationes illius telae numerandae erunt illa corpora, quae natantia occurrunt in articulationibus, praesertim genuum. Haec corpora (Gelenkmäuse) situm quovis modo mutant aut adhaerent per petiolum capsulae articulari et valde discrepant, quod ad numerum, quod ad magnitudinem attinet. Autores valde dissentiunt de generatione horum corporum. Reimarus, Monro, partes detrusas putant cartilagine articuli, Theden glandulas degeneratas, Bichat transformationes capsulae synovialis in cartilagines, Hunter extravasatum esse sanguinem affirmant qui organisatus indolem partis recipiat, cui inhaeret, Sander praecipitari opinatur e Synovia, Laennec haec corpora externa superficie membranae synovialis formari credit, quae pedetentim in cavum articuli irreptantia, membranam synovialem petiolum formantem secum trahant, deletoque petiolo libera redduntur. Non omnes sententias hic apponere placet, ceterum diversis modis haec corpora oriri posse, nunc pseudogeneratione, id quod plurimum, nunc transformatione articuli partium ipsius.

IV. TELA OSSEA PSEUDOGENERATA.

Tela ossea pro cartilaginea haberi potest, addita calcaria phosphorata, et aetate provectiori fere omnes cartilagines in ossa transformari videmus. In omnibus telis pseudogenerationes osseae obveniunt; non cartilagi-

nes transformatas innuo, uti in palpebris, in nasi alis, in broncho, et in bronchiis, in cartilaginibus intervertebralibus, omnino interarticularibus. Non dico pseudogenerationes illa corpuscula ossea, quae invenimus in telis fibrosis, in tendinibus, in ligamentis, in dura matre, in pericardio, in parte diaphragmatis tendinea, nam istae omnes transformationes tantum sunt. An illas ossificationes, quas detegimus in musculis, in nervis, in cerebro, an illas, dico, transformationes nominem haesito. Nunquam persuadere mihi possum, telam muscularem, nervum, in telam osseam mutari posse, ideoque ad pseudogenerationes refero. Observarunt musculos ossificatos fracto ossi vicinos, ossificatas partes musculares diaphragmatis, cor ipsum partim ossificatum, et in ventriculo dextro et in sinistro et in auriculis. Haller, retinam ossificatam se vidisse narrat, alii invenerunt laminas osseas inter membranas oculi in coecis, observasse se contendunt ossificationes in arachnoidea, nec raro pleura tunica vaginalis in senibus ossificatur, neque minus glandulae lymphaticae. Vera est pseudogeneratio non transformatio, inflammatione materiae exsudantur, osseam producentes telam, quod totum corpus calcaria phosphorica abundat, eamque praesertim secernit in locis irritatis.

V. TELA CORNEA.

Praecellit aliis telis pelluciditate sua, aequali forma et simplicitate, quum omnes fere hujus telae modos eadem materia, Hornstoff, dicta, formatos videamus; non alias in se excipiunt telas, omnes in laminas dissecari possunt, quod generationem earum innuit, nempe apposi-

tionem. Nulla accipiunt vasa rubrum sanguinem vehentia, nullos nervos. Huc spectant Epidermis, Ungues, Pili, Dentes. — Hypertrophia, aut degeneratio epidermidis permultas provocat formas alienas, verrucas, tot naevos maternos, clavos et multa alia, quae vero non pseudogenerationis nomen sibi vindicant. Eodem modo Ichthyosis, Lepra huc numerandae non sunt, quippe quae etiam transformationes tantum epidermidis sint. — Pili autem in locis communibus alienis inveniuntur, ubi propriam vitam degunt. Pilos observarunt in membranis mucosis, ut in caruncula lacrymali, in lingua (Amatus Lusitanus), in vesicula fellea (Bichat). Henry vidit pilos cum urina excretos, permulti calculi pilos continent; invenerunt in testiculo pilos, in tumoribus cysticis. — Huc quoque pseudogeneratio dentium pertinet. Ruysch observavit atheroma in ventriculo, quod dentes molares quatuor habebat, et similium observationum numerus est infinitus. Non necessarium videtur, ut de eorum generatione verba faciamus, nam a norma, loco excepto, non aberrat. —

De pseudogeneratione vasorum jam supra diximus, de ea nervorum vero nonnulla sunt afferenda: Dupuytren solus observationes de nervis in pseudomembranis repertis apposuit. — Priusquam pseudogenerationem telarum communium mittam, non possum, quin memorem pinguedinem pseudogeneratione evocatam. Multi anatomici, qui telam formativam e cellulis compositam esse crediderunt, ut Haller, Bichat, pinguedinis particulas iisdem his cellulis contineri censent. Quum autem probatum sit, has cellulas normali statu non exsistere, et quum observatio docuerit, has pinguedinis particulas post

mortem tenui membrana circumdari, pinguedinem ipsam autem non, ut serum, ex uno ad alterum migrare locum, plures anatomici ad sententiam adducti sunt, pinguedinem propriis cellulis, aut vesiculis contineri. Secundum observationes autem recentiorum migrat pinguedo in pluribus animalibus, et C. F. Wolff mehercule non errat, pinguedinis guttas non possidere propriam cuticulam affirmans, sed in tela formativa contineri, ut vesiculas aëreas, ut serum etc. Proinde eodem jure illae secretiones aëris, seri, sanguinis, pigmenti, ad pseudogenerationes referendae forent, uti adipis. —

VITA.

Ego Davides Fuerstner, Berolinensis, veteri fidei addictus, anno MDCCCXIII natus sum patre optimo Hirsch Salomone Fuerstner, matre pietate maxima colenda, e gente Wolffiana. Prima litterarum rudimenta, quibus puerilis aetas imbui solet, domi a privatis praeceptoribus accepi. Tum Gymnasium adii, Leucophaeum dictum, quod Directoribus Bellermann et Köpke floruit, quibus viris praestantissimis atque meritissimis eorum collegis pro summis beneficiis in me collatis hic gratias quam maximas ago. Qua in schola septem annos moratus, examine, quo me maturum praestiteram, superato, civium academicorum numero in alma universitate litteraria Friderica Guilelma ab Ill. Boeckh t. t. Rectore magnifico anno MDCCCXXXI adscriptus sum, ibique illustrissimorum virorum praelectiones praesertim Beat. Rudolphi de Osteologia et Anatomia uni-

versa et speciali frequentavi. Semestri peracto, Marburgum Cattorum me contuli, quo soror carissima me vocavit, ibique Prorectoribus illustrissimis Endemann et de Sieboldt per annum moratus Ill. Buenger de anatomia, Ill. Wurzer de Pharmacia Pharmacologia, Ill. Wenderoth de botanice, Ill. Heusinger de Pathologia tam speciali quam universa, Cel. Robert de materia medica interfui. Elapso anno ad patriam reversus urbem denuo inscriptus sum in album facultatis medicae ab Ill. Weiss, t. t. rect. magnif. et praelectionibus experientissimorum virorum interfui. Ill. Mueller et Ill. Schlemm ad artem cadavera dissecandi me instituerunt. Cel. Wolff in nosocomio Caritatis ad aegrotos curandos me admisit, Ill. Busch in exercitationibus obstetriciis, Ill. de Graefe in chirurgicis et ophthalmiatricis, Ill. Bartels in medicis duces habui.

Quibus omnibus praeceptoribus clarissimis virisque egregiis summas ago gratias, eosque pio animo semper venerabor.

Tentaminibus tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore ut, dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Gonorrhoea syphilitica et non syphilitica dignosci nequeunt.
2. Abscessus hepatici persaepe pus continent optimum.
3. Amentia occulta exsistit.
4. Inter chronicos et acutos morbos limites incerti.
5. Sensuum numerus augendus est.
6. Colica saturnina non Gastrocolitis haberi debet.
7. Medicus sui ipsius quisque esse debet.